

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 57.

Dissertatio Politica.

De Aequilibrio.

Elysiun-Meum.-DieMartis 21. Aug. 1809. (Neov. 4. Aug. 1809.)

Et Pulex in aequilibrio mundi saltitans motum
producit.

Baco de Verul. de motu.

Sæpe fit numero: ut homines æque ac Status tacite animadvertant, nitanturque instar instinctus in id, quod saluti eorum conducit. Videtur natura ambos usque in ephebis circumductare, quo ex rationibus perspiciunt, quid agere debeant, quid item expediat. Aequilibrium virium in tota organica natura viget, planta æque ac pecus, & homo per id conservatur. Status tanto præstantior est, quo regimen effectus ejus activitatis æquilibrium nititur. Non physicæ modo, verum & intellectuales vires apud hominem & statum æquilibrium constituunt, quod si illud apud singularem hominem turbatum est, tum is corporaliter aut spiritualiter infirmus est. In statu ejus destructio consecrarium habet aut anarohiam aut Despotiam. Quare æquilibrium definitur quod sit: actio libera imperturbata omnium virium quæ 1) legibus sibi propriis conveniens, sanitatemque indicat; & 2) intra Juris limites consistit, proin domi-

natus & justitiæ index est. Constat in physicis & moralibus Elementis, atque in orbe humano vires utriusque ordinis legitime libereque agere debeat, si id perturbari aut tolli penitus non volueris.

Aequilibrium politicum ævo recentiore jam ultramodum laude affectum, jam nimis quam vituperio, jam ceu fons omnis justitiæ atque cujusvis pacifici inter homines Status, jam tamquam causa cunctorum facinorum & sentina bellorum considerabatur. Frustra laborat qui in extremis veritatem quæritat, medium illa tenet. Politicum Europæorum Statuum Aequilibrium vicem foederis Gentium sustinet, quod usque non fuerit ictum, Statibus æque necessarium est, ac aer animalibus. Partes constitutiæ Aequilibrîi politici sunt territorium & Incolæ; ambæ potentiam constituunt, quæ, usque lege coercita non fuerit, coeca, efræni, pervertente ratione agit. Cum jam plures Status mutuo se contingant, nulli voluntas deest pervertente ratione in alium agendi, eumque absorbendi. Metu solum retinetur, qui, quod Justitia efficere deberet, perficit, quippe cum Status, qui alium adgreditur, continuo sollicitus esse debeat: plures suæ Conservationis causa parti adgressionem posse adhesuros, ideo cunctatur, feroci efrænique affectui suo indulgere; quare non illico bellum ingreditur, nisi necessitate adactus, quod si fortunam adversantem in iugando experiatur, periculum nihilominus de integro intereundi nequaquam adit, quia

alii Status, quamdiu nempe æquilibrium politicum existit, ejus partes agunt, victoremque ad mitiores conditiones adigunt, cum eidem sui ipsius conservandi curam injiciunt; argumentum præbent novissima tempora: Cum Anno 1790 Turcicam potentiam nimium restringere vellent, Anglia & Borussia in belli arenam prodire minabantur, utraque belligerantium potentia mitiores Portæ conditiones proposuit, Russia Oczakowii possessione contentabatur, sique existentia & benignitas politici æquilibrii per demonstrationes Borussiae, minasque M. Britanniae probata fuit. Quod si Chimæra foret, profecto id genus effectum producere nequirit. Verum quidem est: niti illud opinione de viribus, quæ huic illive statui tribuuntur, atque utilitate aut periculositate earum declarationum, at, quid, quæso, potentius agit opinione, quid homini omnipotentius dominatur quam *fides*? quamdiu tribunal gentium erectum non fuerit, coram quo Controversiæ Statuum omnium Europæ agitatae diremtæque fuerint, & in quo renitens omnes sibi adversos habuerit, eoque politicum æquilibrium evitari nequit; est id necessarium ad conservationem Statuum, agit benefice, cum plura bella impediatur, quam generet, est analogon tribunalis gentium, quod effectum metu producit quidem, attamen justitiæ congruum est.

Quare sit unus æquilibrium politico honor! Cæca indefinita hominum & Statuum circumactio tandem legi subjicienda est, non stulti

affectus, non vehementes animorum perturbationes, neque feroces cupiditates hominibus dominari, verum sapientia & Justitia negotia moderari debent, hæc agendi ratio singularem hominem decet, quanto non magis Statum — *personificatam* prudentiam, & justitiam. —

In mari nullum datur æquilibrium amplius; Anglia aquosam Universalem — non Monarchiam, verum Despotiam excitavit. Omnes oræ maritimæ aditi Status ei reniti debent. Quamdiu æquilibrium maritimum monopolio subest, tamdiu id in Contiente brevi solum durabit tempore. Cuncti Europæi Continentis Status unanimi ratione conniti debent, ut monopolisticum Anglicanum regimen ad æquilibrium maritimum adigant; quod si Acrostatica eo perduci posset: ut in machina aerostatica exercitus, merces, tormenta prout navibus ad alias orbis partes & regiones traducantur, tum profecto universalis maritima Despotia brevi post inanis, nevesque, natantes hæc machinæ, absque usu redderentur; at quando Coeli! —

Novissimi Londino de 11. Julii nuncii ferunt: rem tormentariam, quæ pro magaa expeditione navibus imposita, consistere 19 Centuriis tormentariis pedestribus, in summa 2280 viris; & 8 Centuriis equestribus tormentariæ militiæ 900 capium, in summa 3240 tormentariis. Porro navibus continentur 60 tormenta 18 lib. 40, 24 libr. 110 campestris, 40 mortaria & ingens comæatus. Univer-

sus expeditioni destinatarum copiarum numerus 40,000 capita complectitur.

Vires maritimæ Britannicæ hodie constant 1137 bellicis navibus, ex quibus 263 de linea; & horum omnium, quæ ratio? — ut universalis Despotia mari vindicetur; & nullum æquilibrium maritimum admittatur!

Ex regione Induciarum *Vindobona* de 25. Julii hæc leguntur. — Perhibetur provinciis Austriacis per exercitus foederatos occupatis tributum 200 millionum Francorum impositum esse; (quibus memorati jam 50 miliones pro Vienna & Austria inferiore continentur) ad hanc Contributionem & Schedæ Bancas acceptantur; secundum præhabitum cursum qui autem semper adhuc adversatur, die 22da Augustæ ad 319 defigebatur, id est: 100 Floreni pecuniæ Augustanæ Viennæ 319 Flor. Bancalibus redimebantur.

Tergesto aliquot ante hebdomades Deputati advehere, relaxationem impositæ urbi huic Contributionis exoperaturi, verum nondum adeundi veniam obtinuerunt.

In immensa planitie, qua die 5ta & 6a prælium commissum 16 olim elegantia oppida in ruinis jacent, alia 9 plus minus destructa, omnia vero ab Incois deserta, qui ad vicinos saltus possessionesque sereceperant — Die 6 pomeridianæ occidit: ut altæ ad maturitatem jam perductæ segetes in distantia horæ ultra Wagramum accenderentur, 2000 sauciati Austriaci, qui ob gravitatem vulærum fugere non poterant, miserabili ratione vitam

hac occasione amiserunt. Nescitur accurate; ut fatale hoc incendium ortum sit.

Generalis Campi M. Locumrenens *d'Aspre* ex vulnere obiit & 8a Brunæ tumultus. Erat Gandavo urbe Flandriæ olim Austriæ. Generalis Dux *Norrmann*, qui in campo Martio occubuit Alsata fuit. Anno 1793 cum Colonelus legionis Hussarorum *Bersini* in societate *Dumoriezii* Gallia excessit, paullopost. Austriaca stipendiâ amplexus, in quibus ad dignitatem G. C. M. Locumtenentis provolavit.

Vetustiores Poson. Ephem. paginæ descriptionem texunt acris obsidionis, quam Posonium die 26. & 27. p. m. pertulit. Integre plateæ, numerosæque firmissimæ elegantissimæque urbis domus per eam in cineres redactæ sunt.

In litteris *Clattovia* Bohemiæ 15. hujus legitur: Castra, quæ in regione nostra erigi debuissent, plene revocata & militia provincialis Districtus nostri, quæ hucusque sub ductu *B. a Koop* in regione *Wuldavæ* consistebat, ad exercitum discessit. Illa quoque provincialis militia, quæ in regione *Teiniz*, *Frauenberg*, & *Hay* erat; & 12a ordines *Byruthiniam* procedendi accepit, revocationis litteras nacta est. *Theresiopolis* evacuata, & ibi existens res tormentaria commeatusque 300 curribus *Pragam* delatus dicitur. Continuo ibi immania munimenta struuntur, ad quæ *Coloni* ex *Pilaizensi* Districtu manualas & curules operas præstandas habent. Incolæ jussa acceperunt: ad semestre victualibus se

providendi. Conjuncta Austriaci exercitus Corpora ad album Montem stationem fixura dicuntur, & si eousque ab armis non fuerit cessatum novissimum, Monarchiæ nostræ sortem dirimentem istum, vel executura — vel sustentura.

Tyrolense quoque bellum finitum est — quemadmodum *Salisburgo de 26. Julii* nunciatur — videlicet: tertium agmen Regiarum Bavaricarum Copiarum sub imperio Gen. Loc. a *Deroi* die 24a versus *Gollingam* viæ se dedit; eodem die litteræ allatæ Communitatis *Kitzbüchel*, quibus colloquium petebat, ut initarum Induciarum certa reddi possit, quod ei admissum; & *Mareschallus Dux Dantiscanus*, quem die 23a vespere isthuc adpulisse constat, adgressionem destinatam *Luegensis vallis* in crastinam prorogari jussit; interea Princeps Episcopus *Chiemseensis C. a Zeil & Trauchburg* die adhuc 24 ad fauces *Luenges* venit, suaque eloquentia rem eo deduxit; ut *Salisburgensis montanæ provinciæ incolæ*; (*Pinzgaviæ, & Ortenaviæ &c.*) qui ad usque *pilas obsessas* tenebant, domum reversi sint; Insurgentes quoque stationem ibi habentes *Tyrolenses* decesserant, quod a suo Præfecto nuncium percepisse dicuntur, de Induciarum initarum fidenullum amplius dubium esse — *Coptæ Austriacæ in Tyrol* adhuc residuæ ad 2—3000 æstimantur, quibus continetur paucis admodum constans pedestris legio *Lusignan* — Rumor perdurat: *Tyrolenses Austri-* cis ex prescripto Induciarum veniam discendi denegate.

Byruthino de Iulii. Generalis Copiarum
 Præfectus Dux Abrantinus ex principe suo
 hospitio seqv. *Edictum* promulgavit ad Inco-
 las urbis & Principatus Byruthini: „Vestra
 agendi ratio tempore commorationis Au-
 striacasum copiarum in urbe Principatuque
 hoc, mihi nota est; plures vestrum exces-
 sum & poenaliū errorum dignos semet effe-
 cerunt. Ex quo cum copiis imperio meo pa-
 rentibus ingressus sum, Incolæ hujus urbis
 provinciæque milites meos seducere, atque
 ad deserenda signa provocare conantur; pro-
 clamations tam insulsæ, quam facinorosæ ad
 milites potissimum levis equestris legionis
 Bergensis distribuuntur, quidam debilis mentis
 ad insanis id genus provocationibus fidem dan-
 dam, vexilla sua deseruere discessereque ad
 augendum prædonum globum Ducis Bruns-
 vico Oelsensis; ipsi incolæ hujus urbis, &
 Principatus ejus secuti partes. Jussi Elen-
 chum eorum mihi substerni, quo exemplum
 darem: me eorum & familiæ bona adprehen-
 surum, si ad 1. Augusti non redierint; eos
 qui copias meas seducere studuerint, absque
 status discrimine mortis damnabo, ubi deli-
 cti rei comperti fuerint. Principatus Byruthinus
 ad S. M. Imperatorem Napoleonem pertinet,
 vos huic magno Monarchæ sacramento fidei,
 & obedientiæ tenemini; male ei, qui his ob-
 ligationibus adversatus fuerit! implacabilis in
 reos animadvertam &c.